

III. Committitur simonia, et quidem juris divini, si sine consensu summi Pontificis in permutatione inæqualitas beneficiorum quoad fructus, aut dignitatem, etc., pensione annua, vel pecunia, vel alia re temporali compensatur, casu quo, beneficia in titulum possidentur, secus si jure proprietatis possidentur, per dicta lib. III, tit. XIX, a n. 25.

156. *Et constituenda pensione annua? Remissive.* — Quæritur V. An, quomodo, et qua auctoritate absque labe simoniæ fieri possit permutatio, et resignatio beneficiorum cum reservatione pensionis annuæ? Resp. Ad hoc patere lib. III, tit. XII, ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur, § 4, per totum.

157. *Enumerantur personæ, quæ in simoniaca collatione vel procuratione beneficiorum infici possunt simonia.* — Quæritur VI. Quænam, et quot personæ in conferendis, vel acquirendis beneficiis labe simoniæ contaminari possint? Resp. Plures præcipue vero sequentes. I. Omnes illi, qui pro temporali obtinendo beneficium ipsimet conferunt, vel ad illud præsentant, eligunt, postulant, aut illud resignant, permutant, etc.

158. II. Omnes illi, qui per se vel alios temporale ad beneficium pro se obtinendum offerunt, promittunt, præstant, etc.

159. III. Omnes illi, qui pro tertio aliquo etiam ignorante, v. g. filio, fratre, consanguineo, per oblationem aut præstationem rei temporalis procurant beneficium; uti præter dicta clare patet ex c. *Sicut tuis*, 33, h. t. ubi hujusmodi procurantes simoniæ rei, et pœnis digni expresse declarantur. Nec excusantur, quod non pro se, sed pro alio per temporale procurant spirituale; sicut enim a furto non excusatur, etsi quis non pro se, sed pro alio furetur, ita nec a simonia excusabitur, qui non pro se, sed pro alio spirituale per temporale, aut e contra procurat; cum non minus huic procuratori definitio simoniæ, quam illius oblationi, definitio furti conveniat.

160. IV. Omnes illi, qui promittunt, dant, vel præstant temporale pro precibus aut recommendationem ordine ad obtinendum beneficium, juxta dicta n. 122.

161. V. Omnes etiam illi, qui intuitu promissi, aut præstiti temporalis preces aut recommendationem pro dante, aut promittente interponunt in ordine ad obtinendum pro eo beneficium. Navarrus, *Man.*, cap. XXIII, n. 106. Sylvester, *ŷ. Simonia*, q. 6.

Innocentius, in c. *Tuam de Ætate et qualitate*. Ordinand. Felinus, in c. *Tanta*, h. t. Layman, *de Simonia*, § 6, num. 63, cum communi, arg. can. præsentium 3, cau. 1, q. 5, c. *Sicut tuis*, 33, h. t., juxta Extravag. 2, h. t. Ratio est, quia paria sunt, aiunt citati doctores, dare collatori, et dare Mediatori, ut moveat collatorem ad dandum beneficium; atqui si datur collatori temporale, ut beneficium conferat, dans et acceptans sunt simoniaci; ergo etiam si datur tertio, dans, et tertius ille acceptans incurrent simoniam. Accedit, quod qui ob temporale preces, aut recommendationem interponit ad obtinendum spirituale, moraliter censeatur etiam ipsemet dare spirituale pro temporali, ergo. Vide etiam dicta n. 122.

§ IX.

DE SIMONIA, QUÆ COMMITTITUR IN INGRESSU, VEL RECEPTIONE AD RELIGIONEM.

Raro quidem his temporibus quæstio auditur, aut timor concipitur, an non in admittendo ad religionem vel professionem committatur simonia? qui tamen sæpe concipi posset, ac deberet, ut patebit ex seqq.

162. *Dare vel accipere temporale pro ipso ingressu aut receptione ad religionem, simonia est. Referuntur specialia ad propositum ex jure.* — Quæritur I. An, et quando committatur simonia in receptione ad religionem, vel professionem? I. Si exigitur, promittitur, datur, aut præstatur temporale quid pro ipso ingressu ad religionem, vel admissione ad professionem, vera committitur simonia, et quidem juris divini. Est certa et unanimes, claris juribus c. Non satis 8, h. t. ubi Summarium sic habet: Simoniacum est pretium recipere pro ingressu religionis. Textus vero, tam ille qui dederit, quam ille qui receperit, vel consenserit, partem se cum Simone non dubitet habiturum. Concordat c. Veniens 19, eod. ubi etiam reprobatur consuetudo contraria, et c. *Dilectus* 30, h. t. ubi iungitur episcopis, ut pœnis canonicis procedant contra simoniace recipientes, et ingredientibus ad religionem, non obstante multitudine delinquentium. ac c. *Quoniam*, 40, eod. Specialiter vero Extravag. *Sane* 1, h. t. ubi præmissa execratione simoniæ, quæ in ingressu, vel admissione ad religionem committitur, et contraria consuetudine

tanquam corruptela reprobata simoniaci, et pœnarum rei declarantur etiam illi, qui in personarum ad religionem receptione ante, vel post illam quoscunque pastus, prandia, cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum, sive, quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda directe vel indirecte petere, vel exigere quovis modo præsumunt; sed eas potius cum omnimoda pietate suscipiant, ac in victu et vestitu sicut alias personas suarum ecclesiarum, monasteriorum, etc., sincera charitate pertractent. Illa duntaxat, quæ personæ ipse ingredientibus puræ, et sponte, et plena liberalitate, omnique pactione cessante dare, vel afferre ecclesiis, etc., voluerunt, cum gratiarum actione licite recepturi. Ratio est, quia religio omnino est quid spirituale, consequenter pro admissione ad eam etiam in novitiatum simonia est.

163. *Inops monasterium potest petere, ac accipere temporale pro honesta sustentatione ingredientis.* — Resp. II. Si monasterium aliquod est inops, mediis vel redditibus non sufficienter fundatum, licite, consequenter absque simonia peti, et accipi possunt temporalia ab ingredientibus religionem, non quidem pro ipso ingressu, seu non pro admissione ad religionem, vel professionem, sed pro honesta sustentatione ingredientis. D. Thomas, 2, 2, a 3 ad 4, tum.; Marchant, t. III, tract. X, tit. VI, q. 10, concl. 1; Sylvester, *ŷ. Simonia*, q. 15, dict. 2; Lessius, lib. II, cap. xxxv, dub. 12, assert. 3; Layman, *de Simonia*, num. 39; Navarrus, *de Reddit. ecclesiast.*, q. 1, *Monit.* 62; Tambur., *de Jure Abbat.*, tom. III, disput. 6, q. 9; Pirhing., h. t. n. 59, cum communi aliorum tam theologorum quam canonistarum, cum Glossa in c. *Quoniam*, 40, h. t. *ŷ. Paupertatis*, et expresse concessit Clemens VII, uti habetur apud nos in Compendio privileg., *ŷ. Moniales*. Ratio est, quia in tali casu non datur, nec exigitur temporale pro spirituali, ingressu videlicet in religionem, sed ut quid necessarium pro victu, vestitu ac honesta sustentatione ingredientis, quod etiam quid mere temporale est.

164. *Solvuntur objectiones.* — Nec obstat Extravag. 1, h. t. ubi etiam pro victu et vestitu ingredientis aliquid exigere, ut simoniacum damnari videtur. Resp. enim, Extravag. illam non esse intelligendam de monasteriis pauperibus, sed de divitibus, vel saltem

talibus, quæ sufficientia media pro sustentatione ingredientis jam habent, uti aperte colligitur ex textu, quod dicitur, ut suscipientes ingredientem, in victu et vestitu, sicut alias monasterii personas tractent, quod Papa dicere non potuisset, si etiam de monasteriis media ad id sufficientia non habentibus locutus fuisset. Accedit, quod cit. Extravag. præter additionem novarum pœnarum nihil novi statuatur, sed tantum renovet, et confirmet jura antiqua (prout patet ex illis verbis, quamvis sit eis a jure prohibitum) Jura autem antiqua conclusioni non adversantur; ergo.

165. Dices c. *Quoniam*, 40, h. t., tanquam simoniacum prohibetur, etiam sub prætextu paupertatis aliquid temporale exigere ab ingredientibus religionem; ergo etiam tenue et inops monasterium non potest aliquid pro honesta sustentatione exigere ab ingredientibus. Resp. Cum doctoribus et Glossa cit. c. *Quoniam*, non prohiberi ex causa veræ, sed ex prætextu et sub colore paupertatis falsæ, et fictæ aliquid ab ingredientibus exigere. Vel dic, ibi tanquam simoniacum prohiberi, ne monasterium cæteroquin inops sub prætextu vel ex causa paupertatis plus exigat, quam pro sustentatione talis personæ necessarium est; quia tunc revera non amplius pro honesta sustentatione, sed pro ipso ingressu, consequenter simoniace exigeretur illud superfluum uti magis dicitur infra, n. 184.

166. Instabis c. *Periculoso unic.*, § *Sane, de Statu regular.*, in 6. « Districtius, inquit Pontifex, prohibemus, ne in monasteriis mendicantium aliqua recipiantur in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum monasteriorum bonis, sive proventibus absque penuria sustentari; si secus autem actum fuerit, irritum decernentes. » Quod idem statuit, et ad omnia monasteria virorum, et mulierum extendit concilium Trident., sess. 25, *de Regular.*, cap. III, illis verbis: « In monasteriis tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, sive non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari. Cui accedunt plures aliæ constitutiones, et decreta pontificia id ipsum expresse statutaria: inter quas constitutiones etiam est celebris illa Clementis VIII, constitutio pro Reformatione regularium edita, quæ incipit: Nullum

omnino certa in Bullario Cherub. inter Constitutiones dicti Pontificis, ubi § 7, ita statuit: In unoquoque conventu fratrum is tantum deinceps constituatur, et in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus, consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisque quibuscunque obventionibus, in commune, et præfertur conferendis, commode possit sustentari.»

167. Ex his itaque juribus, ita argumentari quis posset: vel monasterium est opulentum, aut saltem ita constitutum, ut vel ex propriis redditibus, vel consuetis eleemosynis possit candidatum sufficienter alere, vel non est ita constitutum? Si primum, palam et quasi ab omnibus concessum est, quod sub prætextu insufficientiæ, vel pro sustentatione supplicantis nil exigere valeat, juxta dicenda infra num. 169. Si secundum, jam hoc ipso non potest et supplicanti recipere ad religionem ob jura, num. præced., allegata; consequenter etiam inops monasterium ab ingrediente pro sustentatione illius exigere aliquid non potest, quin labem simoniæ juris saltem ecclesiastici contrahat.

168. Verum ad allegata, et argumentum inde factum. Resp. His efficaciter nil probari contra conclusionem; tum quia dotes, et alia bona temporalia, quæ sive mulieres, sive viri pro honesta sustentatione inopi monasterio tribuunt, bene possunt venire vel nomine consuetarum eleemosynarum (nam consuetum est, ut tribuantur) vel saltem nomine aliarum obventionum consequenter, cum Bulla Clementis VIII, ad mentem concilii Tridentini dicat, posse constitui et conservari in quoquo conventu talem numerum fratrum, etc. Qui de consuetis, sive communibus, sive singulorum eleemosynis, aliisque quibuscunque obventionibus, commode sustentari possit, minime agit contra allegata jura, si inops monasterium supplicantem suscipit, qui bona temporalia seu sanctas obventiones monasterio offert, ex quibus ipse commode sustentari valet. Tum etiam, quia etsi dato, non concessio concilium et Bulla in sensu adversariorum loquerentur, tamen conclusioni non obsesset, eo quod in hoc sensu vel non esset recepta, vel certe consuetudine legitime præscripta iterum abrogata; cum plurimis annis passim videmus, candidatos cum conditione vel pacto certa tribuendi monasterio inopi bona temporalia (utique pro honesta sua susten-

tatione) suscipiantur, quæ consuetudo utpote soli legi humanæ contraria, valida et licita est, arg. c. fin. de Consuetud.

169. Si monasterium non est inops, simoniam committit, si sub prætextu sustentationis temporale datur, vel accipitur ab ingredientibus.

— Resp. III. Si monasterium est opulentum, aut saltem ita fundatum, talesque habens redditus ex quibus eos, quos suscipit, sufficienter ex eo commode sustentare valeat, simonia committitur etiam si sub titulo seu prætextu sustentationis, ab ingredientibus temporale exigitur, vel si cum eis sit pactum, aut conventio de dando temporali prætextu sustentationis. Marchant. tom. III, tract. X, tit. VI, q. 10, concl. 4; D. Thomas, 2, 2, q. 100, art. 3, ad 4, tum cum communissima aliorum, per jura, n. 162, allegata. Ratio est, quia si monasterium est opulentum, vel tot habet redditus, ut susceptos commode sustentare valeat, sub titulo seu prætextu sustentationis aliquid exigere non potest, eo quod juxta communem omnium, redditus monasterii sint redditus Ecclesiæ ad sustentationem membrorum illius seu religiosorum gratis faciendum ordinati, ita ut hoc ipso, quod quis ad religionem suscipiatur, habeat jus ad sustentationem ex redditibus monasterii capiendam; ergo sub titulo sustentationis, temporale ab ingrediente exigi non potest: consequenter si sub hoc titulo aliquid exigitur, sub falso prætextu, revera autem pro ipso ingressu, sicque simoniace exigitur; cum alius titulus allegari non possit.

170. Et quidem juris divini. — Et quidem ex hac eadem ratione aperte colligitur, hanc simoniam non tantum esse juris ecclesiastici, prout nonnulli volunt, uti Palao de Simonia, pun. 11, num. 3, sed etiam divini. Cum enim juxta unanimem sit simonia juris divini, si pro ipso ingressu religionis exigitur temporale per dicta supra num. 162, in casu autem conclusionis temporale revera exigatur pro ipso ingressu (titulo sustentationis false allegato), evidens videtur, simoniam hanc esse juris divini, prout expresse etiam fatetur Marchant., loc. cit., et fateri quoque debent cæteri doctores, hoc ipso quod ex allegata, num. præced., ratione conclusionis probent, simoniam committi, si monasterium sufficientes habens redditus, exigit temporalia ab ingredientibus etiam sub prætextu sustentationis.

171. Porro hanc simoniam esse juris di-

vini, probatur insuper ex jure c. Quoniam, 40, h. t., quod fuit in concilio generali editum, ubi antequam ad constitutiones et pœnas ecclesiasticas devenitur, præsupponitur, esse simoniam utique juris divini, quando etiam moniales temporale quid exigunt a suscipiendis sub prætextu paupertatis; id est quasi indigerint pro honesta sustentatione, cum tamen sufficientia jam habeant. Pariter tanquam simoniace jure divino id supponit, et dein primum novas pœnas ecclesiasticas superimponit extravag. Sane, h. t., ubi etiam consuetudo contraria, corruptela esse declaratur, imo jam pridem a sacrosanctis canonibus reprobata abusus dicitur.

172. Idque etiam procedit de opulentis monasteriis monialium. — Resp. IV. Non tantum a virorum, sed etiam monialium monasteriis opulentis, vel saltem sufficientes redditus pro honesta sustentatione habentibus committitur simonia juris divini, si aliquid temporale ab ingredientibus exigitur, etiam sub titulo, seu prætextu honestæ sustentationis. Ita expresse Marchant. cit. tom. III, tract. X, tit. VI, q. 10, concl. 5; Roderiq., tom. II, q. 49, art. 2, dicens, ita sentire fere omnes doctores juris canonici. Patetque clare ex Jure cit. c. Quoniam, 40, h. t., ubi in specie de monialibus sic dicitur: Quoniam simoniace labes adeo plerasque moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sôres, paupertatis prætextu volentes hoc vitium palliare, etc., ac extravag. Sane, h. t., ubi de viris religiosis, et monialibus ad propositum ita loquitur Pontifex: Sane multorum fide dignorum relatione didicimus, quod in nonnullis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, et aliis locis religiosis tam virorum, quam mulierum, ordinum, religionum, et partium diversarum detestabilis, et a canonibus reprobata servatur abusus, quod cum personæ aliquæ recipiuntur ab eis ad observantiam regularem, ipsæ tamen temeritate præsumptuosa pastus, seu prandia capitulis, et conventibus ipsarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, et lecorum, aut pecunias, aut alia, seu res alias ipsis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, et locis, seu presidentibus eis ex statuto, seu consuetudine, quæ corruptela est potius dicenda tribuere compelluntur. Et infra postquam damna hujus vitii allegavit: Omnibus regularibus viris et mulieribus, de tam a maribus, quam a mulieribus volentibus in religionem, etc., ante vel post, quos-

cunque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, jocalia, vel alias res etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda, directe vel indirecte petere, vel exigere, quocunque modo præsumant, etc. Illa duntaxat, quæ personæ ipsæ ingredients pure et sponte, et plena libertate, omnique pactione cessante dare vel offerre ecclesiis, monasteriis, prioratibus, domibus, et locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licite recepturi.

Ratio conclusionis est eadem, quam ad probandam conclusionem n. 169, allegavimus; cum redditus monasterii monialium æque ac virorum sint ecclesiæ, et deputati ad sustentationem membrorum gratis faciendam, prout cit. n. diximus; ut proin etiam monialium monasteria opulenta non possint sub titulo honestæ sustentationis exigere quid temporale; consequenter si nihilominus exigant, revera pro receptione exigunt (cum alius titulus non supersit) ita autem exigere est certa simonia juris divini per dicta superius; ergo.

173. Solvuntur objectiones. Contraria monialium consuetudo illicita, et invalida est. — Nec dicas, moniales saltem titulo consuetudinis id posse. Nam contra est: tum quod consuetudo contra jus divinum nec valida, nec licita sit, arg. c. fin. de Consuetud. et amplius diximus lib. I, tit. IV, de Consuetud. a n. 34, atqui simonia, qua moniales in monasterio opulento, vel habente sufficientes ad sustentandam ingredientem redditus, est contra jus divinum juxta dicta n. præced. Tum quia etsi dato non concessio hæc simonia non esset contra jus divinum, sed humanum duntaxat, tamen contra eam consuetudo illicita et invalida foret, eo quod jus eidem resistat, ab eoque sit reprobata, et tanquam detestabilis abusus, et ut corruptela damnata, extravag. Sane, h. t. c. Veniens, 19, h. t. et ibi Glossa, §. Consuetudine. Consuetudo siquidem talis semper illicita ac invalida est, prout amplius diximus lib. I, tit. IV, de Consuetud. § 2. Hinc caute legenda, et minime practicanda est doctrina nonnullorum sine solido fundamento dictantium, damnari non posse consuetudinem monialium, etiam in opulento monasterio, si ab ingredientibus temporalia exigunt.

174. Objicies cum Pollizario, tr. X, cap. II, n. 40, et aliis conclusionis adversariis: In religione potest considerari ipse status reli-